

P R Æ F A T I O.

quæ hic protulimus, in numerato jam & perspe-
cta habere, multoque exactius dijudicare & exa-
minare posse; sed Theologiæ studiosis, atque iis,
quibus curta est librorum suppellex, manu-
ductionem quandam subministrare voluisse, ex qua ea,
quæ ad Criticam sacram pertinent, utcunque
cognoscere, de recte vel perperam dictis senten-
tiam ferre, & in universum haurire queant, quæ
ex ampla & copiosa Bibliotheca, multo cum tem-
poris & laboris impendio, fuissent conquirenda.
Quibus si profuerim, si nativum sacris literis asse-
ruerim decus, & ecclesiæ commoda, aliqua saltem
ex parte, promoverim, laboris & vigiliarum me
non pœnitebit. Deo autem O. M. cui, quicquid
est istius lucubrationis, sacrum esse cupio, gratias
persolvo, laudesque perennes, nunc & in secula,
AMEN!

A D